



**Quæstionum Canoniarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XXVI. In Titul. XXVI. De Maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

QUÆSTIO XXVI.
IN TITUL. XXVI. DE MALEDICIS.

1117

Rost percussione, quæ fit manu, agitur de illa, quæ fit linguâ per maledicos, & detractores. *Maledicus* generaliter dici potest, qui de alio homine obloquitur ei detrahendo, vel obloquiis deprimendo, quod fit 1. enuntiando, vel affirmando malum aliquod de altero. 2. imperando, seu suo imperio malum alteri efficiendo. 3. malum alteri optando, vel imprecando. Hic *maledicus* accipitur primo modo, & quidem si de altero absente malum enuntias, *detractio* est; si in faciem objicias, *contumelia*, seu *convitium*. Clericus maledicus, maximè sacerdos, cogendus est postulare veniam; aut, si noluerit, degradandus, nec unquam ad officium revocandus ante satisfactionem, c. *Clericus maledicus*, dist. 46. Qui summo Pontifici maledixerit, in depressionem officii, & beneficii puniendus est arbitrio Judicis, secundum qualitatem delicti, juxta c. 1. h. t. nihil enim ita in bene morata Republica cavendum est, quam Principis contemptus, ac ea, quæ minuere ipsius existimationem possunt. Qui autem DEum, B. V. aut Sanctos blasphemant, gravissimè puniendi sunt, c. 2. eod. Per *blasphemiam* intelligitur convitium, seu contumelia irrogata DEO, vel Sanctis ejus in cælo regnantibus, ut probat Covarr. in c. *quavis pactum* p. 1. §. 7. n. 8. sive de DEO aliquid affirmet, quod illi non convenit, puta si *crudelem*, *injustum*, vocet; vel malum imprecetur, quasi malum in DEum cadere possit; vel aliquid neget, quod ei convenit, puta si dicat, *non esse sapientem*, *providum* &c. Est autem alia blasphemia

hereticalis, quando quid profertur contra fidei articulos, ut, *Deus non est misericors*, *DEUS est injustus* &c. alia *non hereticalis*, quando nihil asseritur de DEO, vel Sanctis per verbum indicativi modi, sed solum optando, vel imprecando convitium in DEum, & Sanctos jacitur. In veteri lege ejusmodi blasphemi jussu DEI lapidibus obruebantur. Levit. 24. Jure Canonico Laici excommunicabantur: Clerici deponebantur, c. *Si quis*, 22. q. 1. jure civili erat ultimum supplicium. Sed hæc pœnæ in defuetudinem abierunt, & ex constitutionibus Regnorum, ac Regionum, aliæ receptæ sunt, de quibus videri potest Vallensis h. t. n. 5. Zypæus h. t. n. 4. addit ex consuetudine. Pii V. auctores libellorum famosorum, vel literas, indices aliquorum falsorum criminum scribentes, omnibus pœnis à jure statutis subjiçiet ex Constit. Gregorii XIII. perpetuò infames esse, & ad triremes, vel perpetuo, vel ad tempus, pro criminis qualitate condemnandos. Intelligitur autem per *libellum famosum* quæcunque scriptura, vel etiam, ut vult Molina, & Harprechtius apud Haunoldum tom. 1. de just. tr. 2. n. 580. pictura ad alterum infamandum composita. Jure Canonico, si res in libello contenta gravis est, diffamator, & ulterior evulgator pœnâ flagellorum castigantur: quod si se author ipse ultrò manifestat, mitius puniatur, c. 1. §. q. 1. ibi: *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa consinxerit, & reperius scripta non probaverit, flagelletur; & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurere.*

